DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

Atrophia, ſeu Tabe Notha.

QUAM
SUMMO FAVENTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JOHANNIS VOET, J. U. D.
Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ
Lugd.-Bat. Profeſſoris ordinarii,
NEC NON
Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit
PHILIPPUS MAXIMILIANUS HELVETIUS,
HAGA-BATAV.
Die 1 Octobr. loco ſolitô, à decima ad duodecimam.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

1185. g. 16
50

Viro Clariſſimo,

D. JOHANNI FREDERICO HELVETIO, Medicinæ Doctori experientiſſimo, Artis Spagyricæ cultori dexterrimo Hagæ Comitis Practico Feliciſſimo Parenti ſuo Chariſſimo, omni, quo par eſt, Filiali amore ac obedientia ad rogum uſque colendo.

ATQUE ETIAM

Viris Expertiſſimis Doctiſſimis

JOHANNI BALTHASARI HELVETIO, Medicinæ Doctori Amſtelodami famoſiſſimo.

ADRIANO ENGELARDO HELVETIO, Medicinæ Doctori Lutetiæ Pariſiorum Celeberrimo, Fratribus ſuis in æternum obſervandis.

NEC NON

D. D. Medicinæ Facultatis Profeſſoribus in Academia Lugduno-Batava Celeberrimis, Præceptoribus & Promotoribus ſuis plurimum æſtimandis.

NEC NON

Prænobilibus & Generoſiſſimis Dominis,

JOHANNI van RYGERSBERGEN, Toparchæ in Coërven Crabbendijk &c. Scabino Medioburgenſi ampliſſimo.

CASINO vander HEL, Toparchæ tot de Wiltbaan &c. In ſuprema Gelriæ Curia quæ eſt Arenaci Senatori Graviſſimo.

FREDERICO COYET, Orientalis Indiæ olim Conſiliario, Inſularum Formoſæ & Tayoan Gubernatori Strenuiſſimo, Mathematicarum aliarumque profundiorum Scientiarum Æſtimatori maximo.

UT ET

Admodum Reverendis Eruditiſſimis ac Facundiſſimis Viris,

JOHANNI THIELENIO, Eccleſiæ quæ Jeſu Chriſto Medioburgi Colligitur Paſtori meritiſſimo Orthodoxæ Religionis propugnatori indefeſſo.

JOHANNI TEXELIO, Præconi Verbi Divini Roterodami Fideliſſimo, Vigilantiſſimo, & Philoſophiæ Doctori acutiſſimo Scholæ ibidem illuſtris itemque Gymnaſii Eraſmiani Curatori, Patronis & Promotoribus Suis ſummopere honorandis.

Haſce theſes inaugurales in grati animi ſignum ſacras facit.

PHIL. MAX. HELVETIUS,

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
Atrophia, ſeu Tabe Notha.

PROOEMIUM.

Mirum fortaſſe nonnullis, me hunc morbum pro inaugurali diſputatione elegiſſe videbitur, quoniam de eo haud ita pridem in publica florentiſſimæ hujus Academiæ Cathedra diſputatum fuit.

Fateor equidem, me diu ancipitem hæſiſſe, quamnam mihi materiam eligerem, cum nulla jam ſupereſſe viderentur, quæ jamdudum diſputationi publicæ non fuerint ſubjecta: adeo ut Terentianum *illud optimè huc quadret.*

Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.

Attamen quia pro Laurea Doctorali in Medicina conſequenda, aliqua mihi eligenda & defendenda erat in

Medicinæ materiâ; præ cæteris hæc de Atrophia, ſeu tabe notha, atque de ejus cauſſis arriſit, quas idcirco inaugurali hac diſputatione breviter explicare propoſui.

Verum ne Benevolum Lectorem longo Proœmio offendam, ad Atrophiam, ſeu tabem notham, pro viribus enucleandam me accingo.

Equidem fateor non abſonum fuiſſe prius ſtatum integrum Oeconomiæ animalis explicare; ſed quoniam hanc hiſtoriam jamdudum tot viderim diſputationibus ventilatam, ſiccis, ut ita loquar, eandem pedibus tranſibo.

A parva tamen Etymologicâ explicatione initium facturus; ſecundet itaque D. T. O. M. noſtros conatus votisque adſpiret, ut omnia cedant ad nominis ſui gloriam & proximi ſalutem.

THESIS I.

Ἀτροφία itaque eſt emaciatio, vel totius corporis, vel alicujus ipſius partis, & videtur originem ſuam philologicè trahere ab ἀ privativo, & τροφὴ nutrimentum, quaſi diceres in nutriendo defectum; Sed quoniam in hac theſi non tam de vocis Etymologia, quam de ipſius morbi vera explicatione, ſermonem inſtituere animus eſt; cætera Literatoribus relinquam, ſola vocis ſignificatione contentus, quæ eſt in Ling. Belgic. Baſtert Teering / of uytdroogende Siekte.

I I.

Diſtinguitur hæc noſtra Atrophia ſive phthiſis notha, ab illa quæ vera generaliter nuncupari ſolet, quatenus hæc originem vulgo ducit ab exulceratione pulmonum & tuſſi, cum ejectione puris per os vel alterius cujuſdam partis corporis notabilis, huic vero noſtræ diverſa prorſus natura eſt, uti à pluribus tam internis quam externis cauſis in ſequentibus theſibus oſtendemus.

III. Pri-

Prima cauſſa interna, ſed rarior eſt, obſtructio vaſorum ſalivalium; deficiente enim debita alimentorum præparatione (ad quam non parum contribuit ſaliva) Chylus etiam ad bene nutriendum inhabilis elaboratur.

Secunda cauſſa, eſt paralyſis muſculorum œſophagi (quæ etiam rarius in praxi occurrit) ita ut cibi nequeant deglutiri.

Tertia cauſſa eſſe poteſt, paralyſis ventriculi ita ut ad modulum intus contentorum nequeat contrahi, quæ contractio debitæ elaborationis Chyli minima non eſt cauſſa.

Quarta cauſſa eſt obſtructio vaſorum ventriculi, lymphaticorum, arterioſorum, nervorum vel glandularum, à quibus alias in ſtatu ſano debitum ſuppeditari ſolet fermentum.

Quinta, Crebræ vomitiones.

Sexta, obſtructio ductus biliferi, bilis enim ſale ſuo & oleo volatili Chyli meliorationem (ut ita loquar) ſufficientem multum promovet.

Septima obſtructio ductus pancreatici, nam ſuccus pancreaticus in chyli elaboratione non eſt excludendus.

Octava, obſtructio vaſorum lacteorum, ſive jam illa orta fuerit à chylo craſſo, ſive à præviis exulcerationibus, unde in ipſorum orificiis exoriuntur carunculæ viam chylo ad ſanguinem impedientes.

Nona, vermes qui ſuum huc non raro ſolent contribuere ſymbolum, dum ſubtiliſſimas chyli partes abſorbent.

Decima obſtructio, vel ruptio, vaſorum, vel ipſius receptaculi chyli, vel ductus thoracici.

Undecima, obſtructio in tubulis vel vaſculis lymphaticis, quibus debitè apertis exiſtentibus, partium ſolidarum nutritio notabilitèr promovetur.

Duodecima, ſanguis nimis incraſſatus, vel acris corroſivus &c.

IV.

Prima eſto inter cauſſas externas aër diverſimodè vitiatus.

Secunda oriri poterit, à pravis alimentis.

Tertia, ab immodica alimentorum aſſumptione, qua medianté

te fermentum Ventriculi ita enervatur, & ſupprimitur, ut offi-cium ſuum præſtare, h. e. cibum in chylum convertere nequeat.

Quarta, nimiæ vigiliæ, ſomni diuturniores, exercitia vehementiora, ſecundum illud proverbium *omne nimium vertitur in vitium.*

V.

Multi infantes in hiſce noſtris provinciis hoc malo laborant; quia alimenta antequam ipſis deglutienda traduntur, in ore matris, vel nutricis, ſcorbuto, vel menſtruis laborantis dentibus trita, & ſaliva fuerunt permixta.

VI.

Huc accedit quod antequam fermentum tenellulorum infantum, ſatis vigoroſum evaſit vaſaque lactea ſufficienter fuerint diſtenta cibi durioris compagis & concoctionis ipſis devoranda traduntur, unde non poteſt non, vel crudus & viſcidus generari chylus, vel quod pejus, vaſorum lacteorum ſupervenire obſtructio.

VII.

Plures quidem tam internas quam externas hic recitare, eaſque amplius deducere potuiſſem cauſſas, ſed brevitati ſtudens, hiſce finem imponam, & me ad diagnoſin conferam.

VIII.

Generale ſignum continetur in definitione, emaciatio ſc. totius corporis vel alicujus partis, & eſt per ſe ſatis manifeſtum, dum ſenſim perdunt robur & vigorem.

Sicuti etiam crines defluunt.

Oculorum orbes concavi evadunt.

Tempora collabuntur.

Naſus acutus apparet.

Co-

Coſtæ protuberant.

Scapulæ alarum inſtar prominent.

Abdomen in adultis ſæpiſſime collabitur, & per conſequens rugoſum.

In infantibus vero eſt durum & tenſum.

Manus & pedes ſunt debiles & infirmæ, interdumque vel ex glandulis obſtructis infeſtantur.

Brachia & pedes extrema macie conficiuntur,

Valdeque ſitiunt.

Et tempore nocturno caput ſemper madidum eſt à ſudore fœtido, & præſertim in occipite & ſincipite,

Digitis naſum fricant.

Dentes nigri & eroſi apparent.

Sæpe etiam brachia & crura ſunt incurvata.

Herniis ſæpius laborant.

Excrementa ſunt lutoſa & non raro fluxu Cœliaco laborant, quod ſignum eſt obſtructionis vaſorum lacteorum in inteſtinis tenuibus.

Urina fere ſemper pallida & fœtida eſt.

Febricula ſæpius adeſt & paululum ante mortem pes vel manus ſæpiſſime intumeſcit hydropici inſtar.

Etiamque lumbricos per os ejiciunt.

Et ut uno verbo dicam, corpus antea carnoſum, ac pingue, conficitur ſceleto ſimile, cutis vix oſſibus hæret.

I X.

Prognoſin quod ſpectat, notandum atrophiam ſemper eſſe lethalem quando oritur à ruptione vaſorum lacteorum vel receptaculi chyli vel ductus Thoracici.

X.

Difficillima vero curatu eſt ſi originem trahit ab obſtructione vaſorum lacteorum à caruncŭlis, etiam in ſenibus ſi ſit inveterata nam in iis ſunt partes duriores aridiores minuſque mobiles.

X I.

Facilioris vero curationis eſt præcipuè in infantibus ſi oriatur ab obſtructione vaſorum lacteorum à materiâ quadam craſſa, pituitoſa.

X I I.

Si ergo Atrophia oriatur à materia quadam craſſa, viſcoſa, & lenta, vel ab obſtructione vaſorum ſalivalium, vel vaſorum ventriculi, vel à paralyſi, (uti diximus in Theſi tertia) per ſales volatiles ad hunc morbum pellendum cura tentanda erit, utpote ſpiritus ſal. armoniaci C. C. ſal volatile oleoſum Celeberrimi Viri Sylvii, vel decocta conflanda ſunt ex lignis, & radicibus, Corticibus, herbis, ſeminibus, baccis, multo oleo, & ſale volatili fœtis ut

℞. Raſur. lign. guajac.
Cort. ejuſdem.
Lign. ſaſſafr. ana. ℥ß
Rad. angelic.
Carlin.
Chin. ana ʒiijß
Liquirit. ℥iß
Herb. majoran.
Roriſmarin.
Menth. Criſp. ana mß
Flor. lavend.
Salviæ.
Thym. ana ℈j
Bac. junip. ana ʒiß
Sem. fœnicul.
Anis: ana ℥j

Fiat infuſio calida per horas decem, vel duodecim, in vino gallico generoſo, coquantur more Chemico & poſtmodum in MB. ex cucurbita alembico ſuo munita deſtillentur:

℞. Colat. ℔v
Add. ſal. volat. oleoſ. ℥ij
Sal card. bened. ʒiß

Aqu.

Aqu. vit. mathiol. ℥iß
Syrup. de. menth. ℥ij
M. F. Apozem.

Poſtquam hoc apozemate per dies ſeptem vel octo uſus fuerit, purgans præſcribi poterit, præcipuè ex phlegmagorum familia deſumptum, & poſt illud rurſus ad apozem. præcedens confugiendum.

XIII.

Si vero hic morbus pertinax manet, & materia iſta peccans, hæret in ventriculo, & primis viis, pro ratione virium patientis vomitorium magno cum ſucceſſu præſcribi poteſt, ex infuſione croci metallorum, vel vitri antimoni correcti, vel ex mercurio vitæ, vel tartaro-emetico, vel vitriolo, vel foliis aſari.

XIV.

Poſt verò illud vomitorium, ſudoriferum de ſalibus & mineralibus, non erit rejiciendum.

XV.

Si vero hic morbus originem ſuam trahit ab acido auſtero coagulante, acidum imbibentia præſcribenda venient, utpote oculi cancror. corall. perl. teſtata terr. ſig. bohemic. bolus Rub. & alb. Creta. limat. Chalyb. &c.

XVI.

Si vero ſal muriaticum prædominetur ſuperari poteſt per ſuccos acidos volatiliores. Citr. arantiorum ſp. ſal. volat. oleum ſulphur. per campan. ſp. ſalis Glaub. & ſimilia.

XVII.

Sed ſi acidum aluminoſum peccat, quod non raro contingat, per vitriolata præparata obviam iri poterit.

                XVIII. Si

Si vero vermes cauſa hujus mali ſunt, mediante mercurio dulci, vitriol. martis, ſemine ſantonici patientes in priſtinum ſuum ſtatum facile reſtitui poterunt.

XIX.

Diæta qualis ſit eligenda facile ex prædictis determinari poterit, ſc. ab omnibus illis, quæ tonum ventriculi perturbare valent, vel fermentum ejus vitiando, vel ſupprimendo; unde chylus vel evadit ſpiſſus, viſcoſus, vel ſalinus, mordax, corroſivus, fugiat itaque lenta viſcoſa, difficilis concoctionis & paucæ nutritionis, Cibi ſint facilis digeſtionis, & blandis aromatibus, vel ſpiritibus acidis volatilibus condiantur.

XX.

Exercitia ſi æger ferendo ſit, promoveantur, ſomnus, & quies breviores ſunto, alvus reſpondeat aſſumptis, aër ad ſiccum tendens, animi pathemata omni ſtudio ad hilaritatem componantur, mæror & triſtitia cane pejus & angue vitentur.

Hic teneat noſtras, anchora jacta rates.

COROLLARIA.

I.

Sternutatoria in omnibus morbis capitis non admittimus.

II. *Nec vomitoria in omnibus morbis ventriculi.*

III. *Venæſectio in morbis totius corporis cautè inſtituenda.*

IV. *Dari vaſa lactea in ventriculo non negaremus.*

V. *Nec etiam in inteſtinis craſſis.*

VI. *Effervescentiam inter bilem & ſuccum pancreaticum, difficulter quis probaverit.*

VII. *Pulſum ubique in corpore eſſe æqualem nemo abſolutè ſtatuere debet.*

VIII. *Tota Medicina in correctione & evacuatione humorum, fermentique reſtitutione conſiſtit.*

IX. *Paracentheſin in hydropicis inſtituere parum ad reſtitutionem patientis contribuit.*

X. *Calculum in veſica diſſolvi poſſe negamus.*

FINIS.

Ἔπος

εἰς τὴν

ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΜΑΞΙΜΙΛΙΑΝΟΥ ἙΛΒΕΤΙΟΥ

Θέσιν Ἰατρικὴν

περὶ

Ἀτροφίας.

Ἐνδόξως τῆξιν σὺ φίλε Φιλίππε χαλινεῖς
Λυγρὰν. ὅθεν μετέμου αἰνεῖ τότε πᾶς πατριώτης.
Δήπου νῦν τεθεράπευκας φθίσιν καπυράν. Καὶ
Ἐν θείης ἔργῳ σοφίας σὺ Φιλίππε φιλεργοῦ.
Φύσεως ἀῤῥήτου καρποὺς ἐγκώμια λήψῃ.

MARGARETA RIPEN

Bremenſis.

Ad Doctiſſimum, medullâque Pæoniâ ſolidè enutritum Virum,

D. D. PHILIPPUM HELVETIUM

Cum Pro Gradu Doctoratus, ſummisque Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè in Medicina conſequendis, Specimen exhiberet Publicum.

Jam poſtquàm intrepidô es *Muſarum* caſtra ſecutus
Pectore, præclarâque inſtructus *Pallade* totus,
Jamque diu Auguſti calcaſti dia Lycæi
Limina, ubi doctas effundunt pulpita voces
Lugduni; (: Lux illa Viris tàm ſancta Batavis!)
Ecce tuis meritis Laurum concedit Apollo,
Et tibi *Pierides* variô de flore corollas
Nectunt plaudenteîs: *ita virtus præmia confert*
Aſſiduis, quorum *primum te* cenſeo, námque
Otia diſplicuere tibi, nec deſide vitâ,
Paſſus es excelſas animi marceſcere dotes.
Atque opus an multis? *gemini* te *lacte* Parentes
Paverunt, quorum tibi teſtis Maetsius *unus*,
Alter erit Genitor, doctrinâ clarus uterque;
Ergonè Tu vincas magnos multóſque medentes,
Par quibus in *parvo* (Rarum!) ſis tempore factus?
Saltem *ego* non dubito; votis quoque porrò precabor,
Inviolata tuos extendat fama labores!

Gratulabundus accinuit

JOHANNES BROEN

MED. DOCT.

Fama judicium nec erubeſce.

OP
De Heer
PHILIPPUS MAXIMILIANUS HELVETIUS

Doen Sijn E: in de hoogh-berugte Academie van Leyden, tot Medicinen Doctor gemaeckt wierd.

Nu vult de *eer-galm* van *Helvetius* elcx ooren,
De *Leerſught* eyſcht de Roem, van ſijn beroemde *Geeſt*,
Maar het *Verſtant* ſeght, *Neen*, ik ben hem aangebooren,
'tHooft van *Minerva* is ſijn eerſte Wiegh geweeſt.
Indien men *Wijsheyt* moet als *Dapperheyt* beloonen,
Dan paſt dees *Cruyn* gewis het puyck der *Lauwer-kroonen*.

Genees-konſt, hoe berught by alle Wetenſchappen,
Schijnt voor dit groot Vernuft by na geen konſt te ſijn,
Dus volght hy 's *Vaders* ſpoor, met onvermoeyde ſtappen,
Die Duyſenden genas, van 's Doods gevaar, en Pijn,
Soo aan de *Krancken* oyt wierd ſtof tot vreugd gegeven,
't Is nu *Helvetius* word tot dit Ampt verheven.

De Steden twiſten wie van haar ſal zegepraalen,
's Lants *Hof-plaats*, *Y*, en *Maas*, verſchuldight aan dees Naam,
Die tragten elk om 's eerſt hem heerlijk in te haalen,
Maar *Zeeland* komt haar voor, (begunſtight van de Faam)
En roept; *mijn Middelburgh ſal hem een Burgh verſtrecken*,
Wie nu Gejuygh wil ſien, moet met hem derwaerts trecken.

THOMAS VASTRICK

Med. Cand.